

diligentiaque collegi, & in quemdam redigens ordinem, titulis distincti compositis; ita duntaxat, ut singulorum Pontificum, quot ad me præcepta reperta sunt, sub una numerorum serie terminarentur, omnesque titulos huic præfationi subnecterem eo modo, quo dudum de Græco sermone Patrum transferens Canonum ordinatam, quod vobis nimium placuisse cognoveram. Quo loco indicat, quod sicut in translatione Græcorum Canonum, & additione latinorum ordinem servavit temporum, ita & in compilatione decretorum Summorum Pontificum.

123. Hic Codex, sive personam rogantem, sive condentem, sive fidem compilationis spectes, opus privatum fuit; cæterum ut primum manibus privatorum teri cepit, mox apparuit, sive Canonum Græcorum versio spectaretur, sive totius materiæ coordinatio, & relationis fidelitas, illum pristino Canonum Codici in multis præstare. Hinc contigit, ut Codicem hunc vix editum Ecclesia Romana ceu quoddam Canonum Corpus susceperit, uti testatur Cassiodorus, Dionysii coævus, *divinarum lectionum* c. 23. *Fuit nostris temporibus Dionysius Monachus, — qui petitus à Stephano Episcopo Solonitano ex græcis exemplaribus (Canones Ecclesiasticos) moribus suis, ut erat planus, atque disertus, magna eloquentia luce composuit, quos hodie usu celeberrimo Ecclesia Romana complectitur.* Imo hæc Collectio continuo usu ab Ecclesia Romana ita probata, & suscepta fuit, ut à Nicolao I. *dist.* 19. c. 1. & Leone IV. *dist.* 20. c. 1. ac omnibus sequentibus Canonum Collectoribus *Codex Canonum* dicta sit; quem admodum observant Correctores Romani in præfatione ad *Decretum Gratiani*; qui & addunt: *Et hæc est (Collectio) que in notationibus, que nunc eduntur, absolute Codex Canonum vocatur; perguntque: Isidorus (de quo infra) partim hæc ipsa Dionysii versione, quamquam raro, partim præfata illa, cujus mentionem in*

præfatione sua (mox laudata) Dionysius facit, usus est aut integris, aut partim immutatis, que tunc, ut ipsemet Isidorus testatur, exstant; hodie, præterquam apud ipsos decretorum Collectores, non existant. Probabiliter autem Quenellus præfatum Romanum Codicem tandem invenit, ut supra N. 114. vidimus.

§. IV.

De Codice Martini Episcopi
Braccarenfis.

124. **H**IC Codex, seu Collectio est prima inter Occidentales, quæ ordinem argumentorum servat. Illius author est Martinus, prius Duvenisensis Monasterii SS. Abbas, postea Braccarenfis in Hispania Episcopus, homo non Græcus, sed Pannonius, seu Ungarus, ut ex positivis Historicorum testimoniiis, ejusque epitaphio demonstratur. Hic cum ex Orientis partibus navigans Galliciam, hodie Lusitaniam, venisset, ibique Suevorum Populos ab Ariana impietate ad fidem Catholicam convertisset, uti testatur S. Isidorus Hisp. *de Viris Illustribus* c. 22. videns, quod in Canonibus Orientalibus, Græco sermone primum conscriptis, Interpretum tum imperitia, tum oscitantia multa omnia fuerint, ac propterea multis simplicioribus apparerent obscuriores; consilium inivit, ut in gratiam Hispanorum cum omni diligentia ea, quæ per translationes obscurius dicta erant, & ea, quæ per Scriptores fuerant immutata (verba sunt illius in præfatione illius Codicis) simpliciter & emendatius restauraret.

125. Codicem suum in duas partes divisit Martinus, quarum prima agit de iis, quæ ad Episcopum, vel universum Clerum; secunda de iis, quæ ad Laicos pertinet, tractat: quemadmodum ipse testatur in præfatione citata. Prima pars continet capitula 68. altera 16.

126. Hæc capitula potissimum ex Canonibus

nonibus Græcis desumpsit Martinus, paucis ex Conciliis Africanis & Hispanicis adjectis. Nec fontes indicat, ex quibus illa sumpsit; quem defectum supplevit Doulatius, qui & variantes hujus Codicis lectiones ad marginem indicavit. Quæ cum hac lectionum varietate, & Canonum adscriptione adornata, inserta sunt *tomo 1. Bibliotheca Juris Canonici veteris*, habenturque apud Coletum *tom. 6. Concilior.* à pag. 585.

127. Gratianus multa capitula ex hoc Codice desumpta citat ex *Concilio Martini Papæ*, cujus erroris originem credit Ant. Augustinus *Dialogo 1.*, ut cum aliquis hæc capita Martini Papæ, hoc est, Episcopi (qui antiquitus Papæ dicebantur) inscripserit, alius Papæ Romani interpretaretur. Qui error à Correctoribus Romanis plerisque in locis notatur. Ad hæc Gratianus non advertens, capitula Martini è Canonibus Græcis desumpta, illa tanquam ab his plane diversa in ejusdem questionis decisionem retulit; v. g. *dist.* 64. c. 1. exhibet 4. Canonem Nicænum, & eundem ex versione Martini rursus refert c. 7. Plurima alia in hanc rem exempla videri possunt apud Ant. August. *cit. dial.* 10. & 11. Quin & interdum nec ipsa Martini capitula à Gratiano fideliter relata sunt: sic enim 26. q. 5. c. 3. plura capitula Martini in unum Canonem conflavit, idque ordine, quo in Codice Martini existant, plane diverso.

128. Hinc ergo patet, Collectionem Martini Braccarenfis nonnunquam posse subservire assequendo genuino sensui Canonum in Decreto Gratiani occurrentium. Ex illa etiam elucescit, qualis tempore Martini in Ecclesiis Hispaniarum disciplina vigerit; cum admodum verisimile sit, Martinum Canones suos præcipue adaptasse disciplinæ, quam ibidem vigere videbat.

129. Hic Codex ad Concilium Provinciale Lucentis in Hispania A. 572. à Martino directus est, atque ab eodem ap-

probatus: unde illius autoritas, & epocha desumi potest.

§. V.

De Collectione Isidori, vulgo
Mercatoris.

130. **H**ÆC Collectio, quæ anterioribus multo est locupletior, Isidori tum Mercatoris, tum Peccatoris titulum præfert in Codicibus MSS. nunc autem communiter Collectio Isidori Mercatoris vocitur: quoniam mos eam sic nominandi invaluit. Ceterum & circa auctorem, & circa tempus, & circa locum, ubi in lucem prodit, omnia sunt incerta. Nos lite hac maxima parte ob angustiam operis alii relicta, duo solum præambulatorie statuimus. Primo, quod hujus Collectionis author non sit S. Isidorus Hispanensis, qui a. c. 636. in exilium migravit: alterum, quod hæc Collectio ante Sæculi VIII. supremam in lucem non prodierit; quia horum duorum punctorum evictio causam nostram circa veterum Romanorum Pontificum usque ad Siricium Papam epistolæ huic Collectioni insertas, infra contra Eximium Patrem Liberium à Jesu, recentissimum earundem defensorum, magnopere juvabit. Itaque à primo ordiendo, sit

131. Assertio I. *Hujus Collectionis auctor non est S. Isidorus Hispanensis.* Hanc propositionem probant Eruditi sequentibus momentis. *Primo:* quia in illam multa illata sunt, quæ post ejus mortem conscripta fuere. S. enim Isidorus mortuus est a. c. 636. in hac autem Collectione, præter alia, habentur Concilia Toletana VI. VII. & reliqua usque ad XIII. Item decimum septimum Emeritense, & Braccarense II. quæ omnia post mortem Isidori celebrata sunt, prout constat insipienti Collectionis Conciliorum. Item Epistolæ Gregorii II. qui a. c. 716. & Zachariæ, qui a. c. 741. ledit.

Ref-

Respondet Eximius Pater Liberius à Jesu, Collectioni huic contigisse, quod aliis quoque Collectionibus evenisse in aperto est; ubi enim primus Author desit, alter subortus est, qui inchoatum opus vel prosecutus est, vel perfecit. Explicet Isidorus Hispalensis Collectionem suam constitutis, seu decretis per Concilium Hispalense II. a. c. 619. celebratum, quo anno adhuc superstes fuit; alter vel plures, reliqua utque ad Gregorium addiderunt. Veritati huic suffragatur præfatio Juris Canonici, jussu Gregorii XIII. correcti, atque editi; in qua Correctores Romani, testimonio duorum antiquissimorum Codicum MSS. quorum unus exstat in Vaticana Bibliotheca, alter in Monasterio Dominicanorum super Minervam, probant, Collectionem Isidori protendi à Canonibus Apostolorum usque ad Concilium Hispalense II. Insuper testantur, Collectionem hanc in editionibus Conciliorum exstare impressam, in antiquioribus quidem puriore, in recentioribus vero multis aliis Conciliis, scriptisque admixtam.

132. Fateor hanc responsonem esse satis solidam; tum quia negari non potest, multas Collectiones hanc vicem subuisse, uti patet ex jam dictis, & infra amplius constabit; tum quia multa est testimonio relatorum Codicum MSS. sicut & editionibus antiquioribus Conciliorum; tum quia ipse Author in præfatione hujus Collectionis testatur, se in Gregorio M. qui a. c. 604. adeoque vivente & florente S. Isidoro Hispalensi. obiit, desinere his verbis: *Subjicientes etiam reliqua decreta Præfatum RR. usque ad S. Gregorium, & quasdam epistolâ ipsius.* Ex quo, etsi evidenter non colligatur, primitivè huic Collectioni inserta non fuisse Concilia Toletana, quæ mox notante Antonio Augustino retulimus, quoniam præfatio relata non innuit Concilium, in quo compilatio in illa promissa exspiret, quemadmodum rem determinat circa decreta, &

epistolâ Romanorum Pontificum; sed solummodo generaliter dicit: *Postmodum vero Nicænam Synodum constituimus, — deinceps diversa Concilia Græcorum & Latinorum, sive quæ antea, sive quæ postmodum facta sunt, sub ordine numerorum ac temporum locavimus;* evidenter tamen apparet, Epistolâ Gregorii II. Zachariæ, item Vitaliani, Martini, & Gregorii III. quas Jacobus Merlinus Doctor Parisiensis edita integra hæc Isidori Collectione tom. 1. suæ *Collectio- nis*, tanquam ex ipso Isidori Codice subdidit, recentiori manu esse allutas, quamvis idem de Conciliis Toletanis, & aliis post Concilium Hispalense ibidem relatis fortiter probent Codices Vaticanus & Minervitanus relati; eo quod vetustissimi sint, & in præfatio Concilio terminantur: ex ipsis tamen evincitur, hanc Collectionem non esse S. Isidori Hispanensis. Nam primo ipsi Correctores Romani à Liberio adducti in laudata præfatione dicunt, in Minervitani Codicis præfatione initium esse, *Isidorus Mercator Servus Christi*, nec multo secus in Vaticani: ergo in vetustissimis Codicibus, qui exstant, & quos Viri illi illustissimi suis oculis inspexerunt, non legitur Isidorus Hispalensis, sed *Mercator*; & consequenter vires ad intentum Liberii juvandum amittunt. Secundo, cum, testibus Correctoribus Romanis, in dictis Codicibus exstet initium præfationis Isidorianæ: ergo etiam ipsa præfatio; ex hac autem validissimum contra eundem Liberium desumitur argumentum: siquidem in illa Author, inter alia Concilia, etiam laudat Synodum Œcumenicam VI. sub Agathone Papa a. 681. adeoque 45. annis post mortem S. Isidori Hispalensis celebratam: quo fit, ut hæc præfatio alio in loco, juncta cum Codicibus relatis, causam Eximii Liberii juvare quidem videatur quantum ad hoc, quod *primevâ* hæc Collectio deservit quantum ad Concilia in Hispalensi, & quantum ad decreta Romanorum Pontificum in Gregorii M. quod tamen ex aliis

illis momentis infra subvertemus; destruat autem quantum ad hoc, quod hujus Collectionis, ubicumque demum deserit, Author sit S. Isidorus Hispalensis. Id quod nihilominus caput rei est. Sed evidentiâ argumentum atexamus.

133. Secundum igitur momentum Eruditorum est, quia S. Braulio Cæsar-Augustinus Episcopus, Isidoro cœvus, ipse amicusissimus, in catalogo ipsius operum nullam hujus Collectionis mentionem facit. Uti nec S. Ildephonsus Episcopus Toletanus, ejusdem S. Isidori Discipulus, ac in Sede Hispalensi Successor, in eodem, quem de ejus operibus texuit, catalogo.

Resp. Liberius à Jesu I. S. Braulionem testari, S. Isidorum edidisse plures, quam ab ipso recensitæ sint, lucubraciones; dicit enim: *Sunt & alia ejus Viri opuscula multa, & in Ecclesia Dei multo cum ornamento inscripta instrumenta.*

Resp. II. In prænotatione ejusdem Braulionis apud veterem Codicem haberi: *In Canonico quoque, & Civili Jure permaxima composuit instrumenta.* — Idem testatur, qui operam navarunt, ut absque mendis ediro S. Isidori in lucem prodiret. Canonicum porro instrumentum est illa Collectio.

134. Sed contra primam est: Licet S. Braulio testetur id, quod à Liberio relatum est; ibidem tamen discrete profertur, se omnes libros recensere, qui ad ejus notitiam pervenerunt, teste Natali Alex. *sec. 7. c. 4. §. 4.* Mirum autem valde, in eo incredibile est, opus tantæ molis, quod incipere, & perficere Authorem illius *80. Episcopi coegerunt*, uti expresse dicit in præfatione hujus suæ Collectionis, relata apud Coletum tom. 1. *Concil. pag. 4.* quodque epistolâ primorum R. E. Pontificum à Clemente S. Petri discipulo usque ad Siricium, antiquitate, atque autoritate fere adorandas, atque eo usque orbi incognitas, è latebris scripturum eduxit; ad notitiam, nec Braulionis Isidori amicusissi-

mi, nec Ildephonsi ejusdem discipuli, ac in Sede Hispalensi Successoris, pervenisse. Nonne Braulio ejus amicusissimus debuit esse in hypothesi Liberii inter *80. Episcopos*, qui S. Isidorum ad hanc Collectionem molendam *coegerunt*? Nonne S. Ildephonsus, ejusdem Sedis & Scribitorum Hæres, illam non evulgatam, saltem in isdem reperire debuit? Nonne denique hoc opus tam vile erat, ut ab uno horum Isidorianæ gloriæ præconum taceretur, ab altero levi brachio sub *Ly Bullra alia* comprehenduntur? De opposito hodie literatus convincitur orbis. Quare

135. Contra II. Liberii responsonem dico: Illum ibi, una cum citatis à se Editoribus operum Isidorianorum, provocare ad unum *veterem* Codicem, cujus nec quidem domicilium nominat, ut alias in materia critica consuetum est: quæ ratiocinatio consequenter replicam nostram non alterat. Accedit, quod, teste Bellarmino in *Isidoro*, Parisiensis operum S. Isidori editio de a. 1608. quamvis multa habeat, quæ in catalogo S. Ildephonsi, quem ibi adnumerat, desunt, quæque proinde Viro emunctissimæ naris suspecta sunt; nullam tamen mentionem aliquorum instrumentorum utriusque juris faciat.

136. Objicit Liberius à Jesu I. testimonium Hincmari, Viri acerrimi ingenii, & sæculo IX. florentis, quo apertis verbis S. Isidorum hujus Collectionis facit Authorem. Sed ad hanc autoritatem commodus infra N. 176. respondebimus.

137. Objicit II. autoritatem Codicis Neapolitani, quo Correctores Romani usi sunt, qui Codex S. Isidoro Hispalensi adscribitur, sicut & Vaticanus Codex, ut testatur Cardinalis de Aguirre.

Resp. Quomodo Vaticanus Codex inscribatur, supra N. 132. ex ipsis Correctoribus Romanis informati sumus. Qui si in Neapolitano nomen Isidori Hispalensis invenissent, utique illo suam sententiam, quæ eadem est cum Liberiana, confirmassent: interim ibi Codicis Neapolitani

politani nec mentionem faciunt. Unde ad testimonium Eminentissimi Cardinalis de Aguirre sequens apud Coletum tom. 1. pag. 7. habetur nota: *Licet novissime Cardinalis de Aguirre in apparatu ad Concilia Hispanica illam (Collectionem) pro viribus conetur S. Isidoro Hisp. describere; vercor, ne satis æquos emunctioris naris experiat Lectores, quibus potior illius Collectionis decretalium pars (à Clemente nimirum usque ad Siricium) supposititia videtur.*

138. Objicit III. duorum Illustrissimorum, atque omnium Juris Pontificii Consultulorum omnino eruditissimorum Virorum testimonia, quibus grande pondus sue sententiae accedere exultat. Primum est Illustrissimi Parisiensis Archiepiscopi Petri de Marca, qui lib. 3. de concordia Sacerdotii & Imperii c. 5. refellens Chronicon Laurentii Ramirez, ait: *Satius esse herendum Hinemari testimonio, qui non Mercatori Setubensi Episcopo, sed Isidoro Hispalensi, ætate sua Collectionem tributam esse testatur.* Secundum est Antonii Augustini Episcopi Tarraconensis, qui in Epistola Nuncupatoria antiquarum Collectionum ad Gregorium XIII. scribit: *Imprimis laudandi sunt Isidori Hispani duo, qui & Pontificum Romanorum Epistolae, & omnium Conciliorum decreta collegerunt.*

139. Resp. I. indirecte, autoritates horum Virorum, omni exceptione majorum, eximio, atque eruditissimo Patri Liberio magis obesse quam prodesse, quantum ad epistolae Romanorum PP. in hac Collectione contentas; quarum tamen gratia de tanto hujus Collectionis auctore litigamus. Antonius siquidem August. adnotando Legum Imperatoriarum verba, & quæ sub Ariani nomine exstant ad Codicem Theodosianum Scholia, aliquot faculis his Pontificibus posteriori, primus eas suspectas reddidit. Petrus vero de Marca lib. & cap. cit. quod integrum refert Labbeus apud Colet. tom. 1. pag. 79. eas

non semel aperte dicit supposititias, præsertim his verbis: *Epistolae contentas in Collectione Isidori, non repudiatas ab Episcopis Gallicanis, quia de falsitate illarum nondum constabat.* Et ne magno, ac cum reverentia nominando Isidoro Hispalensi cogatur imposturam impingere, eisdem reum suspicatur Riculphum Archiepiscopum Moguntinum sæculo VIII. viventem.

140. Resp. II. directe, & primo ad testimonium Petri de Marca, illum capite citato satis fluctuare circa Auctorem hujus Collectionis: scribit enim mox ante verba à Liberio relata: *Inde autem colligitur, Isidoro Hispalensi non esse tribuendam hanc Collectionem, quia nempe meminit Conciliorum post obitum illius Sancti Pontificis celebratorum.* En argumentum nostrum supra N. 132. allatum. Deinde refert Chronicon relatum, quod Isidorum Setubensem hujus Codicis Compilatorem facit; sed quia hoc Chronicon non tantum ipsi, sed etiam omnibus Eruditis suspecta fidei est, subjungit: *Satius est standum testimonio Hinemari; nimirum respectively ad hoc Chronicon suspectum, non autem simpliciter; quia & argumentum à se allatum non solvit, nec illud penitus discutit, quemadmodum nos supra fecimus.*

Ad testimonium Antonii Aug. dico: Illius autoritatem l. c. Eximio Patri Liberio favere non posse; siquidem Collectionem hanc Isidoro Hispalensi diversis verbis abjudicat; nam Lib. 1. de emendatione Gratiani dialogo 6. postquam ex Gratiani dist. 16. retulisset Canonem 4. quo Canones Apostolorum ab Isidoro dicuntur à pluribus recipi, eorumque sententia à Patribus inter Canonicas Constitutiones esse apposita; & deinde Canonem 1. quo item ab Isidoro iidem Canones dicuntur apocryphi, atque eorum gesta auctoritate Canonica, & Apostolica esse remota; ita pergit: *Hæc verba (scilicet postrema) in omnibus veteribus li-*

bris

bris Hispania Conciliorum inveniuntur, non illa, quæ Isidorus Mercator in præfatione Conciliorum scripsit, quæ etiam Gratianus in capite 4. ejusdem distinctionis posuit; neque distinxit varietatem horum Scriptorum, ut debuit, cum contraria diceret; hic enim Mercator hos Canones probat, quos ille (nempe Hispalensis) rejecerat; sed utrumque Isidorum vocat. Relatum autem cap. 4. est desumptum ex præfatione Collectionis præsentis, de cujus auctore litigamus, uti constat non tantum ex nota Correctorum Romanorum eidem subjuncta, sed etiam insipienti ipsam præfationem apud Colet. lib. cit. l. b. fit manifestum. Auctorem enim hujus præfationis, & Codicis in ea effigiati Antonius Aug. vocat Mercatorem, eumque ab Isidoro Hispalensi aperte distinguit; & consequenter quidquid Antonius August. per citata à Liberio verba intelligat, nihilominus sentit Isidorum non Hispalensem, sed diversum ab eo, & quidem ipsissimum nostrum Mercatorem hujus Collectionis esse auctorem. Imo ipsi Correctores Romani, qui in præfatione laudata ad Decretum Gratiani Hinemari Rhemensis de hujus Collectionis auctore judicium, quod nempe is fit S. Isidorus Hispalensis, videntur probare; in nota ad Can. 1. hujus dist. 16. de hoc ipso fluctuant, dum ajunt: *Caput hoc (id est, illud, in quo Canones Apostolorum reprobandantur) est in præfatione Isidori ad Collectionem Conciliorum, quæ ex Bibliotheca Ecclesie Toletane descripta Romam missa est; nam in illa, quæ vulgatae Isidori Collectioni, de qua initio (id est, in præfatione sua decreto Gratiani à se correcto præfixa) dicitur est, præponitur, contrarium potius videtur dici, & refertur infra cap. Placuit, seu 4. hæc eadem dist. si modo N.B. idem est Isidorus.* Satius ergo est standum silentio Braulionis & Ildephonsi, circumstantiis tam notabilibus qualificato, aliisque motibus à nobis allatis, quam his Liberii momenti à nobis tantopere infirmatis.

Tom. I.

141. Assertio II. Hæc Collectio ante sæculi VIII. suprema non est concinnata. Probat tum ex Epistola Zacharie huic Collectioni illata, tum ex lacinis, quas plurimas sumit Auctor ex ep. Bonifacii Archiepiscopi Moguntini ad Ethibaldum Regem à cap. 744. data, & ex Epistola celebris Abbatissæ Cangith post a. 720. ad eundem Bonifacium scripta; & quamvis vix non certum sit Epistolam Zacharie, aliæque monumenta à nobis supra N. 132. recitata huic Collectioni esse recentiori manu assuta, uti ibidem probavimus, & confessi sumus; aliud tamen ferendum est iudicium de lacinis ex Epistola Bonifacii, & Abbatissæ Cangith; hæ enim ipsæ Epistolæ Rom. Pontificum, quas Collectioni non esse assutas Liberius ipse fatetur, imo propugnat, sunt intertextæ; & consequenter vehementer suadent, corniculam, quæ has plumas ab illis furata est, posteriorem ipsis esse. Et hæc de Auctore atque Epochâ hujus Collectionis.

142. Materiam hujus Collectionis auctor, quisquis ille demum extra Isidorum Hispalensem sit, in præfatione operis relata recenset. Ex illa autem habetur, quod I. loco ponat ordinem celebrandi Concilium, desumptum ex Concilio Toletano IV. II. Canones Apostolorum 50. quos suo adhuc sæculo testatur à quibusdam apocryphos dici. III. Epistolae decretales Veterum Pontificum à Clemente usque ad Sylvestrum. IV. Nicenam Synodum propter autoritatem ejusdem magni Concilii. Deinceps Concilii Græcorum & Latinorum, sive quæ ante, sive quæ post (Nicenam) facta sunt, sub ordine numerorum ac temporum — ac etiam reliqua decreta Præsulum RR. usque ad S. Gregorium, & quasdam ejus epistolae. Ex quibus patet hanc Collectionem servare ordinem temporum.

143. Dicta autem Concilia, & decreta Summorum Pontificum, quæ verbis illis generalibus insinuat, sunt hæc: Fides Gregorii Majoris; Concilium Ancycanum,

T

num, Neo-Cæsariense, Gangrense, Sardicene, Antiochenum, Laodicænum, Constantinop., Ephesinum, Chalcedonense, edictum Marciani Imperatoris, *Sæcra* Valentiniani & Marciani Imper., edictum Marciani Imper. contra hæreticos, epistola formata qualiter debeat fieri; Concilium Carth. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. Milevitanum, Arelatense 1. 2. 3. Valentinum, Taurinatense, Regiense, Auricæense, Eliberitanum, Tarraconense, Gerundenæ, Cæsar-Augustanum, Illerdenæ, Valentinum, Toletanum 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. & 13., Braccarense 1. & 2. Liber Capitularum ex diversis Conciliis collectorum à B. Martino Braccarensi Episcopo; Concilium Braccarense 3. Hispanense 1. & 3. Exceptiones ex decretis Sylvestri Papæ, Decreta Marci Papæ, Julii, Liberii, Felicis, Damasi, Siricii, Anastasii, Innocentii, Zozimi, Bonifacii, Cælestini, Sixti; Decreta Epistolica Leonis Papæ I. Decreta Hilarii, Simplicii, Felicis, Gelasii, Anastasii, Symmachi; Liber Ennodii, Decreta Hormisdæ Papæ, Libellus Fidei Joannis CP., Decreta Joannis Papæ, Felicis, Bonifacii, Joannis, Agapiti, Sylvestri, Vigili, Pelagii, Joannis, Benedicti, Pelagii, & Gregorii M.

144. Gratianus, & alii Canonum Compilatores magna ex parte Isidorianam Collectionem in suos Codices retulerunt; magnopere igitur interest discernere, quas genuinas, quas spurias merces Mercator hic illis obtulerit. Multa autem sunt, quæ in hac Collectione pro apocryphis à modernis Eruditis fere omnibus habentur; inter quæ primo loco occurrunt famosæ illæ epistolæ decretales Veterum Romanorum Pontificum à S. Clemente usque ad Siricium Papam, de quarum suppositione convictos se fatentur moderni Eruditi fere omnes; quas tamen recentissime vindicare conatur nuper laudatus Eruditissimus Liberius à Jesu Carmelita Discalceatus, speciali dissertatione super hac re edita, quæ exstat in calce tom. 1. operum ejus historico-critico-

polemorum posthumorum; contra quem proinde, veritatis eruedæ gratia, nostra procedet

QUESTIO CRITICA.

An Epistolæ Romanorum Pontificum à Clemente I. usque ad Siricium Papam, qui sedie a. c. 385. sunt suppositiæ?

145. **N**ON agimus hic de epistolis S. Clementis ad Corinthios prima, & secunda; prima enim inter omnia opera eidem adscripta censetur ab omnibus genuina: & quamvis inter Veteres aliqua fuerit controversia circa secundam eas tamen præferet antiquitatis notas, ac Veterum testimonia, ut à petitoribus genuinis Maximi illius Pontificis partus censetur. Nec sermo nobis hic est de illorum præscorum Pontificum literis, quæ in genuinis Patrum operibus vel integre, vel fragmentatim conservatæ sunt. Ut sunt epistolæ S. Cornelii, quæ exstant inter opera S. Cypriani. *Julii I.*, quæ referuntur à S. Athanasio apologia secunda. *Liberii*, quæ à S. Hilario in fragmentis recensetur. *Damasi* ad Illyricos, quam Theodoretus lib. 2. Hist. Eccl. c. 22. exscripsit; aliaque ejusdem Pontificis epistolæ apud S. Hieronymum exstantes, has enim genuinas esse ultro fatemur.

146. Sed de illis nostrâ occupabitur dissertatio, quas ex hac Isidori Mercatoris Collectione, tanquam ex *solo & unico fonte* Conciliorum Editores in suas Collectiones transtulerunt, atque habentur apud Coletum tom. 1. & 2. *Conciliorum*, singulorum Pontificum, qui eorum feruntur auctores, vitis subjectæ.



Qua-

Quarum hic est Catalogus, quo adscribuntur

Clementi	V.	Lucio	I.
Anacleto	III.	Stephano I.	II.
Evaristo	II.	Sixto II.	II.
Alexand.	III.	Dionysio	II.
Sixto I.	II.	Felici I.	III.
Telephoro	I.	Eutichiano	II.
Hygino	II.	Cajo	I.
Pio I.	IV.	Marcellino	II.
Aniceto	I.	Marcello I.	II.
Sotero	II.	Eusebio	III.
Eleuthero	I.	Melchiodi	I.
Victori	IV.	Sylvestro	I.
Zephirino	II.	Marco ad Sanctum Athanasium, ut supponitur, data	I.
Callisto I.	II.	Julio I.	II.
Urbano I.	I.	Liberio	II.
Pontiano	II.	Felici II.	II.
Antero	I.	Damaso plures; nimirum ad S. Hieronymum.	III.
Fabiano	III.	Ad Afros	I.
Cornelio	III.	De Chorepiscopis	I.
Quarum una inscribitur:		Ad universos Episcopos	I.
Charissimis atque dilectissimis Fratribus S. Ecclesiæ Dei Filii, & omnibus Domino recta fide famulantibus. Altera Ruffo Coepiscopo.		Italiæ	I.
Tertia Lupicino Viennensi Episcopo.		Ad Aurelium I. Summa Epistolularum LXXX.	I.

147. Priusquam tamen præsentem questionem, quæ non parvi momenti est, discutiamus, videndum est I. Quid rei causa fuerit, quod hæc decretales tot sæculis indubitati fidem meruerint? II. Quibus gradibus eorum suppositio fuerit detecta?

148. Quod primum attinet hoc duplici ex capite contigit: primo, quod hæc epistolæ prænotarentur venerandis nomini-

bus illorum Pontificum, qui non tantum proximi S. Petri in Romana Sede Successores, sed etiam doctrina, sanctitate, & Martyrio celebres habebantur. Secundo, quod illo sæculo Collectio, qua in lucem publicam portabantur, nomine Isidori esset larvata, quem non tantum Hincmarus Rhemenfis illa tempestate celeberrimus, sed plerique alii, si non omnes, crediderunt esse Isidorum Hispanensem, virum à doctrina, sanctitate, atque sinceræ fidei integritate illis temporibus omnium ore celebratissimum. Accedit, quod hæc epistolæ multum faverent Majestati, & Jurisdictioni Sedis Apostolicæ; quas proin non tantum Romani Pontifices, verum etiam Episcopi; Judicis Metropolitanorum sese subducere aventes, amabus, ut ajunt, illius amplexi sunt. Veluti constat ex famosa illa controversia, quæ Nicolaum I., cum Episcopus Galliæ commisit, de qua infra. Et inter Hincmarum Rhemensem Archiepiscopum, & Hincmarum Laudunensem Episcopum, Rhemenfis Suffraganeum. Quorum primus, id est, Nicolaus, harum epistolularum auctoritatem acerrime propugnavit ad tuendam suam supra Episcopos Galliæ in causa appellationis auctoritatem; alter vero, id est, Hincmarus Laudunensis, ad minuendam suam erga Metropolitanam Rhemensem subjectionem: illis interim harum epistolularum authenticam non negantibus, sed Canones posteriores, illarum decretis oberfantes, & consequenter, ut prætendebant, iisdem derogantes, opponentes.

149. Dum ergo nemo harum epistolularum veritatem in dubium traheret, ipseque Romani Pontifices, pluresque Episcopi, earum auctoritatem vehementius urgerent, tandem eo devenit esse, ut quasi uno consensu, tantis nominibus veterum Pontificum, & Martyrum cedentes Episcopi, eas in auctoritatem, & pro jure receperint. Ac ita per 4. sæcula in pacifica possessione permanerint.

150. Quod secundum attinet: postquam

quam sæculo XVI. exorti Lutherani, Calvinistæ, alique hæretici, Romanæ Sedis hostes infensissimi, omnem movere cœperunt lapidem, ut venerandæ antiquitatis monumenta, quibus dogmata, & Ecclesiæ disciplina suæ præsentæ reformationi contraria asserbantur, vel supposititia, vel dubiæ fidei redderent, aut ad alium, quam hæctenus crederat, sensum detorquerent, videruntque in Catholicorum præsertim recentiorum libris ad confirmationem tum dogmatum, tum disciplinæ cumulatim ex his veterum PP. decretalibus testimonia adduci; armis pene omnibus spoliandos Catholicos crediderunt, si has decretales epistolas supposititias probarent.

151. Itaque Centuriatores Magdeburgenses primi his decretalibus bellum indixerunt; argumentaque nonnulla pro illarum suppositione adduxerunt; quibus, præ cæteris, Catholicis obviamivit Turrianus, nominatus è S. J. Theologus, harumque decretalium defensionem suscepit V. editis libris. Qui dum in manus hæreticorum pervenissent, Blondellus Calvinianus in Gallia Minister, illas singulari, & accurato critério examinare aggressus est, atque accuratissime demonstravit, ex quibus Authoribus sententiæ, & verba ipsa harum epistolarum dehorata essent. Ante quem Antonius Aug. supra laudatus, in iis pulta ex Theodosiano Codice, & Aniani Scholæ notaverat, ut supra pariter retulimus. His excitati Catholici, propius & ipsas decretales hac occasione seposito præiudicio ex tot sæculorum consensione iisdem ingesto, inspicere cœperunt, atque argumenta tum Magdeburgensium, tum illa, quæ post editam à Turriano apologiam à Recentioribus opposita sunt, tum quæ in ipsarum epistolarum lectione sponte sua occurrerant, expendentes, intelligere cœperunt, ex earum decretalium autoritate fidem Ecclesiæ, & Apostolicæ Sedis præminências non dependere; multaque revera esse, quæ eas dubiæ fidei esse suaderent.

152. Hinc Eminentissimus Bellarminus lib. 2. de Rom. Pontif. c. 14. inquit: *Indubitatas (has epistolas) esse affirmare non audeam. Et Baronius Tom. 10. Annalium: At vero ex multis eas reddi suspectas Epistolas, per ea, quæ dicta sunt secundo Annalium tomo, dum de singulis actum est, satis est demonstratum, simulque demonstratum, illis non indigere S. R. Ecclesiam, ut si falsitatis arguantur, suis ipsa destituatur juribus, & privilegiis, cum, etsi illis careat, ex legitimis germanisque aliorum Pontificum RR. epistolis decretalibus satis superque subsistat. Idem censet Doctissimus Cardinalis Peronius.*

153. At Eruditissimus Cardinalis de Bona, lib. 1. *Rerum Liturgicarum*; ipsas aperte censet *supposititias*: insuper addens, id *dadum* à viris Eruditis observatum fuisse. Cui subscribunt Illustrissimus Dominus Archiepiscopus de Marca; supra N. 139. relatus, & Natalis Alexander *Hist. Ecclesiasticæ sæc. I. disert.* 21., qui ibi in Scholio subiungit: *Mirabitur omnis eruditorum hominum natio, quod Religiosi Censores (id est, illi, qui Romæ suæ opera censurarunt) præcipuam disert. huiusmodi præpositionem in indiculo suo notaverint his verbis: Epistolæ decretales RR. Pontificum ad Siricium usque apocryphæ. Ambo autem sicut Blondelli, ut ut hæretici, criterium, quo abjudicat has decretales dictis Pontificibus, cordate laudant: ita blasphemum, & calumniosum, id est, Calvinisticum ejus spiritum, quo eas traducit, abhorrent. Quibus accedunt Doctissimus Baronii Criticus Pagius ad a. c. 100. N. 4. Contius, Simonius, Petavius, Labbæus, Christianus Lupus, Schellstratus, le Coite, Vanespens, Gibertus, & fere omnes moderni Eruditi; qui ex momentis mox afferendis omnino se convictos fatentur de earundem decretalium suppositione.*

154. Contra hos tot, ac tantos Viros patrocinium harum epistolarum nuperrime sus-

sulcepit, easque à suppositionis cauterio vindicare conatus est Eruditissimus Liberius à Jesu supra sæpe laudatus; cuius replicas recentissimus ex professo disceutere placet, atque argumenta solvere: non eo quidem, quo illa proposuit ordine, sed illo, qui à nobis, dum in hoc opusculo historice, critice, vel dogmatice disputamus, electus est, chronologico.

PROPOSITIO.

Epistolæ Romanorum Pontificum à Clemente I. usque ad Siricium Papam sunt supposititiæ.

155. **P**robatur I. ex eo, quod nemo unus Scriptorum Ecclesiasticorum per 8. fere sæcula harum decretalium mentionem fecerit: non S. Hieronymus in suo Catalogo, non Eusebius, non Theodoretus, non Siricius, non Innocentius primus, nullus denique: ergo signum manifestum est, illa ante sæculum VIII. non existisse; consequenter tunc primo fabricatas, adeoque supposititias.

Resp. Liberius, argumenta à silentio petita, seu negativa vulgo ab Eruditis infirma existimari, eo quod opera, de quibus silent Scriptorum, ipsis ignota esse potuerint. Additque I. Natalem Alex. disert. 22. & 23. hac ipsa responsione tueri epistolas S. Ignatii Martyris, & opera Dionysii Areopagite. II. S. Martyrem Maximum in prologo ad opera S. Dionysii testari, Eusebium plura in sua historia omisisse, & præsertim ex Clementinis non nisi duas epistolas retulisse; ac proinde censet Clementem plura edidisse.

156. Sed contra est: Silentium à nobis additum adeo qualificatum est, ut hæc epistolas videatur evincere supposititias. Nam primo hoc silentium non habet pro objecto opus aliquod privati Authoris, aut Episcopi, sicut fuerunt opera Dionysii, & epistolæ S. Ignatii Martyris; sed epistolas RR. Pontificum œconomiam universalis

Ecclesiæ tractantes, atque ad diversas mundi partes datas. Secundo de his epistolis non tantum siluere Ecclesiasticis Scriptoribus, sed etiam Romani Pontifices, & quidem per 8. fere sæcula, quos tam incurios fuisse, ut Scrinia Romana per tam immanem temporum intercederentem, videlicet usque ad Hadrianum, vel Nicolai I. tempora, seu sæculi VIII. finem, (quo Liberius dicit, has epistolas inibi ab iis repertas fuisse, ut infra videbimus) nunquam ex integro lustraverint, aut privilegiis Sedis Apostolicæ, totiusque Reipublicæ Christianæ emolumento tam invidos, ut inventas non publicaverint, sibi facile non persuaderit, qui animo revolvit, quanto plausu hæc epistolæ, quam primum in hac Ilidoriana Collectione apparuerunt, à plurimis susceptæ, quam rapaci cursu in omnes regiones dispersæ, & quanta contentione tum à Romanis Pontificibus, tum ab Episcopis, ut vim canonicam habentes, propugnata fuerint.

Ad id, quod addit Liberius ex S. Maximo Martyre, Resp. Cum S. Maximus Monachus Constantinop. teste Bellarmino de Script. Eccl. mortuus fuerit a. c. 660. quo tempore non tantum duæ Clementis epistolæ, sed alia etiam ejus opera, videlicet *Canones, & Constitutiones Apostolorum* eidem, præsertim à Græcis, adjudicabantur; sed immerito, ut supra vidimus, ejusdem autoritas veritatem decretalium clare non comprobatur, ut nimis silenter jactat eximus Liberius. Sed ad uberiores hujus replicæ confirmationem

157. Probatur Propositio II. Dionysius Exiguus, vir summa eruditione & sanctitate præditus, in præfatione 2. *partis suæ Collectionis*, seu potius *Collectionis* secundæ Canonum, quæ extat apud Coler. tom. 1. *Concilior. pag. 3.* aperte testatur: *Sedis Apostolicæ Præsulum constituta, qua valui cura, diligentissime collegi; hic tamen Vir planus atque disertus, Collectionem illam orditur à Constitutionibus Siricii Papæ, & consequenter episc-*

epistolae suorum Prædecessorum in Scriiis Apostolicis non inveniunt: cur enim, quæso, illas Publico invidisset?

Resp. Liberius hoc argumentum ferre Adversarios; si quid enim roboris habet, jam plane vincitur, celebrem illam Clementis Epistolam primam ad Corinthios ab Irenæo, ab Eusebio, aliisque relata, alias item aliorum Pontificum ab aliis Patribus recentitas decretales esse supposititias; eo quod illas Dionysius in Codice suo non retulerit, imo plurimas Leonis, aliorumque Pontificum inter Sircium & Anastasium, id est, ab a. c. 385, usque ad a. 496. ex eadem ratione, quia nempe illas Dionysius in sua Collectione non intulit, pariter esse apocryphas; cuius tamen contrarium constat.

158. Sed contra est, quod scopus argumenti adducti non sit probare has Epistolae ex hoc solo esse supposititias, quia à Dionysio in Codice Canonum non sunt relatae; sed quod Dionysii, qui Apostolica Scriinia tanta diligentia & cura perquisivit, de illis silentium, junctum silentio Historicorum, Patrum, Conciliorum, atque imprimis Romanorum Pontificum per octo fere sæcula de monumentis, & quibus in tot ac tantis occasionibus tum fidei dogmata, tum Sedis Apostolicæ privilegia, tum Ecclesiastica disciplina firmari, atque nervosissime contra Adversarios tueri poterant, argumentum istud negativum, seu ex silentio desumptum, magno opere roboraret; eo vel maxime, quod Epistola Clementis ad Corinthios, aliorumque Pontificum à Dionysio omissarum (fortassis, vel quia originaliter in Scriiniis à se illustratis non exstabant, vel quia aliunde jam obviae erant) authenticitas è Historicorum, Patrumque monumentis abunde comprobatur; quibus tamen omnibus destituta sunt præsentis Epistolæ, ut in objectionibus videbimus.

159. Probatur III. ex eo, quod dictæ Epistolæ contineant laciniis plurimas Epistolarum, operum, decretorum Patrum,

Legum Imperialium, Scholiorumque in eas, Pontificibus, quibus inseruntur, longe posteriorum: ergo ex his videntur consarcinata.

Respondet Liberius I. Ut aliquid evinceret argumentum, probandum esset, sententias illas, quæ in Epistolis, Decretisque Pontificum laudatorum reperitur, primo à posterioribus dictas fuisse, & non potius ex illis decretalibus excerptas.

Respondet II. Fieri potuisse, ut sententia illæ, quæ in dictis decretalibus eodem tenore referuntur, quæ existant in recentioribus operibus, atque cum aliis non bene coherent, genuinis illorum Pontificum sententiis recentiori manu asfute fuerint; quo pacto tantum evinceretur, Epistolae illas esse interpolatas, non vero prorsus supposititias.

Respondet III. Fieri potuisse, ut Pontifices priores, & Patres atque Imperatores posteriores in verbis & sententiis circa eandem materiam conducerent; quod exemplis confirmat.

160. Sed contra I. Resp. est: Quod si posteriores Patres, Scriptores, Imperatores, Commentatores fragmenta illa à Blondello turmatim notata, & apud Coletum l. c. margines fere implentia, ex his Epistolis desorassent, unus saltem ex mille tam cordatus, tanque pius in tantos Pontifices existisset, qui dedisset gloriam Christi in terris Vicariis, Martyrii laurea clarissimis, eosque desorando laudasset; nec autem alienigena quidem inventus est; cum tamen eorundem laudatio haud vana fuisset, ut expedienti patebit.

161. Contra II. Responsum est: Quod esto daretur, simile corruptelam in aliquibus exemplaribus irreperire potuisse; id tamen credibile non est respectu omnium.

162. Contra III. Responsum est: Quod, quamvis id fieri posset in una alterave sententiola, præsertim symbolica, id quod evincunt exempla à Liberio allata, nulli tamen à præjudiciis libero persuadebitur,

bitur, id esse possibile, quantum ad integras paginas, ut infra N. 163. notabitur.

163. Probatur IV. ex eo, quod in dictis Epistolis Scriptura Sacra frequentissime usurpetur secundum Vulgatam Hieronymi editionem; quæ tamen canis illis Pontificibus multo est junior.

Resp. Liberius à Jesu r. Fieri potuisse, ut Pontifices textus illos desumpserint ex versione antiquissima, quæ *Itala* vocatur, quam S. Hieronymus in multis intactam reliquit; & consequenter nobis restare probandum, quod laudati textus non sint illi, quos ille Scripturista intactos reliquit.

Resp. II. Cum Turriano, assignando causam, cur Hieronymiana Versio in has Epistolae irrepserit. Id nempe non alia de causa factum esse, nisi quia, cum primum hæc epistola, ut à nullis ignorarentur, ad Ecclesiæ usum vulgatae sunt, jam interpretatio veteris Testamenti in manibus omnium erat, æque fere, ut vetus illa interpretatio 70. trita; idcirco visum est tunc prudenter, & utiliter fieri, si utraque interpretatio ex parte adhiberetur, ita, ut in quibusdam locis interpretatio 70. propter antiquitatem suam relinqueretur, & in multis interpretatio Hieronymiana in locum 70. Interpretum succederet, & in aliis non paucis eorum interpretatio temperata.

164. Sed contra I. Resp. est: Quod mirum cuilibet Erudito apparebit, veteres Pontifices in laudatis Epistolis accurate tantum illa verba, sententiaque retulisse, quas S. Hier. in versione Itala reliquit immutatas: cur ergo nos eidem Eximio exhibeamus has sententias in versione Hieronymiana, onus illi incumbit easdem nobis exhibendi in versione Itala; alias manebimus in possessione.

165. Contra II. Resp. est: Tantum abesse, ut Eximius Turrianus arrepta hæc œconomia (quæ Viris emunctioris naribus appareret violenta) has Epistolae juvet,

quin potius suspicionem modernorum Criticorum vehementer augeat; nimirum, authorem harum mercium, dum has Epistolae partim ex suo, partim ex Sanctorum Patrum, Romanorum Pontificum, Imperatorumque essatis compilaret, Scripturas allegasse, vel prout suo tempore obtinuerunt, vel prout illas in præfatorum monumentis, quæ desoravit, reperit; aut callido demum imponendi consilio mixturam illam diversarum versionum confasse.

166. Probatur V. ex eo, quod Epistolarum illarum argumenta non conveniant primis Ecclesiæ sæculis, quibus Pontifices Sircii Antecessores floruerunt; quia non agunt de Hæreticis eorum sæculorum, de persecutionibus adversus Ecclesiam, de lapsis, de consolatione Confessorum, de exhortatione ad Martyrium, &c. de quibus tamen plura habent illorum sæculorum tum Patrum, tum Pontificum, tum Conciliorum monumenta.

Resp. Eximius Liberius, non omnes omnia versant, sicut non omnis fert omnia tellus. Et pergit: Verum quam fallum sit, quod præcorum Pontificum epistolae pro illorum temporum opportunitate atque indigentia non versent argumenta, ex istdem Epistolis probat Turrianus l. 2. c. 12. post quo adducit verba Turriani, qui dicit I. Anacleti primam epistolam versare argumentum de consolatione Martyrum. II. Evaristi primam refutare hæresim sustinentium solum Patrem inhabitare lucem inaccessibilem. III. Alexandri primam refellere hæreticos Trinitatem aut Unitatem negantes in Deo, qui vel jam erant, vel esse poterant.

167. Sed contra axioma à Liberio hic usurpatum est, quod illud prædictas epistolae haud liberet à suppositionis nota; mirum enim cuilibet à præjudiciis libero videbitur, quod omnes isti Pontifices illa tempore illa solummodo argumenta tractaverint, quæ tum erant prorsus peregrina, & illa ne quidem digito moverint, quæ
tum

tum erant domestica. Verum quia nec ipse Eruditissimus Scriptor in hac responsione acquiescit.

168. Contra II. Resp. est: Quod magis sit condescendum eruditissimo Turriano, qui ante notatas posteriorum Scriptorum lacinas in his Epistolis male confusas scripsit, quam Eximio P. Liberio, qui crambem hanc diu nauatam deuo recocit; etsi enim in Anaclei Epistola ab Eruditis non negetur illa exhortatio ad patientiam, quæ ibi ex 1. Petri v. 1. ex ep. Pauli ad Rom. 5. & Jacobi 5. exordium conficit, tanquam à recentiore codice emendicata; integra tamen, & longa illa refutatio illorum, qui negabant *Filiū inhabitare lucem inaccessibilem*, quæ laudatur ex ep. Evaristi, sicut & illa, quæ citatur ex ep. Alexandri, à capite ad caecem, & de verbo ad verbum desumpta est ex responsione Ithaci, sive Idaci Clarinone Hispani, adversus Warimodum Arianum, qui author sæculo IV. aut, si idem est cum Vigilio Tapfensi, sæculo V. aut sexti initio, adeoque duobus, vel tribus integris sæculis post hos Pontifices floruit, ut post alios Eruditos in margine harum Epistolarum notat vir emunctissimæ naris Labbaeus S. J. apud Coletum tom. 1. Conciliorum pag. 537. & 550. Cujus rigidiorum oppido censuram in has Epistolas, earumque auctorem, ac defensores lege, si placet, ibi, post epistolas Clementis.

169. Probatur VI. ex eo, quod plures ex dictis Epistolis usurpent vocabula Archiepiscoporum, Primatum, Patriarcharum, Clericorum, &c. quæ nomina, sicut & gradus, constat posterioribus sæculis inductos. Uno verbo, ea tractant, quæ primis sæculis minime, octavo vero, quo hæc Epistola prodierunt, apprime conveniunt: & ne dicarum gratia hoc asseruisse videamur, exemplis, quanquam à plurimis, quæ passim in dictis Epistolis occurrunt, paucis id comprobamus.

Primo S. Clemens in sua ad Jacobum

fratrem Domini mentionem facit vestium, in quibus Presbyteri sacrificare debent, pallarum, valorum sacrorum, Oltiarum, Archidiaconi, aliorumque Ministrorum; atque Apostolum ibi circa administrationem Sacramentorum instruit.

Secundo. Idem epistolam tertiam inscribit ad Clericos; quod tamen nomen ne notum quidem tum erat, omnesque *magnos, & parvos* Principes, qui tunc erant nulli.

Tertio. Anacletus, qui viginti aliquot ad summum annis post mortem Petri sedit, in ep. 1. præcipit, quatenus Episcopus in solemnibus diebus celebrans, aut 7. aut 5. aut 3. Diaconos, qui ejus oculi dicuntur, & Ministros reliquos secum habeat, qui facris induti sint vestibus à fronte & à tergo; simulque Presbyteri è regione dextra levaeque consistant. Idem ibi asserit, à sententiis Judicum secularium ad tribunalia Ecclesiastica appellari posse: atque plurima de variis cauularum Ecclesiasticarum generibus statuit; non tantum Primatum & Metropolitanorum, sed etiam Apocritariorum, seu Nuntiorum Apostolicorum mentionem facit. Et in ep. 3. Patriarcharum, & Regum Christianorum, qui tunc certissime erant nulli, distributionisque Ecclesiasticarum Provinciarum meminit.

Quarto. Evaristus in priori Epistola mentionem facit Matrimonii Claustrum, atque hujus Sacramenti caeremonias describit.

Ac tandem omnes reliquorum Pontificum Decretales quam plurima continent, quæ à primis illis adhuc quodammodo nascentis, & sub Gentilium imperatorum diris persecutionibus quasi delitescens Ecclesiæ sæculis, tam longe abesse apparent Viris Eruditis, quam distat cælum à terra; quorumque nulla penitus mentio fit in sinceris illius ætatis monumentis.

Quapropter hoc argumentum his exemplis firmatum fortius est, quam ut illud facile dissilari existimet Liberius à Jesu ex

eo,

eo, quod in libris Areopagitæ habeatur vocula *Hypostasis*, & in Epistolis Ignatii distinctio inter *Episcopatum & Presbyteratum*; quæ etsi tunc non essent in usu, ab illis tamen primo usurpari potuerunt.

170. Nam contra est: Quod ex Historia constat, Presbyteratus & Episcopatus essentialem distinctionem tempore Ignatii jam invaluisse. Et sublimem Dionysium unius voculæ potuisse esse auctorem: sed quid hæc una hirundo ad turram allatam?

171. Probatur VII. ex eo, quod omnes illæ Epistolæ sint stylo barbaro, qui Pontificum illorum ætati, in qua nitor & elegantia latinæ floruit, proflus non convenit. Accedit I. Quod in omnibus illis sit styli similitudo, & idem scribendi character, qui eundem auctorem manifeste indicat. II. Quod omnes fere falsis temporum consulationumque notis consignatæ sint, ut monstrant marginalia.

Ad argumentum Resp. Liberius, etiam Augustinum simplicem stylium saepe affectasse. Concedo: sed tunc, quando loquebatur ad Plebem, & hunc quidem non barbarum, sed nitidum. Hæc autem Epistolæ directæ sunt plerumque ad Ecclesiæ Præsules, atque in Causis Ecclesiasticis momenti maximi.

Ad Conf. I. Resp. Eos in stylo conuenire potuisse, sicut apparet in Apostolis. Sed notandum I. Apostolos eodem tempore vississe, hos Pontifices à se sæculorum intervallis distare. II. Pauli Epistolas, teste S. Petro, esse styli sublimitate ab aliorum Apostolorum scriptis multum diversas.

Ad II. varia quoque querit effugias; sed illa nihilominus, junctæ cum præcedentibus, manet evidens suppositionis harum decretalium nota.



Tom. I.

Momenta Adversariorum, & præcipue Eximii Liberii à Jesu expendantur.

172. PRO basi fuz dissertationis ponit eruditissimus hic Author regulam Juris 65. in 6. *Potior est conditio possidentis*; cui subjungit hanc minorem: Sed veterum Pontificum Epistolæ non tantum prioribus, sed etiam posterioribus Ecclesiæ sæculis, atque ex aliis momentis veritatis prærogativam possident: ergo in ea sunt manutendæ. Singula membra principalis hujus minoris rationibus fuit, quas ordine chronologico pro possibili proponemus. Itaque

173. Obijcit I. probando primum membrum principalis minoris. Gelasius in Concilio Romano a. 494. celebrato liberos authenticos ab apocryphis per specialem catalogum accuratissime discernens, ita habet: *Item decretales Epistolæ, quas Beatissimi Papæ diversis temporibus ab Urbe Romana pro diversorum Patrum consultatione dederunt, venerabiliter suscipiendæ sunt*: ergo hæc epistolæ prioribus Ecclesiæ sæculis veritatis prærogativam obtinuerunt.

Respondet Natalis Alexander: Cum hæc Gelasii sententia sit indefinita, constabit ejus veritas, si ad eas epistolas referatur, quas Siricius, Innocentius, Zozimus, Bonifacius, Coelestinus, Sixtus III. S. Leo, Hilarius, Simplicius, Felix III. Gelasii Antecessores scripserunt.

174. Hanc responsionem Liberius à Jesu vocat voluntariam, eamque sic impugnat: Eo ipso, quod hæc Gelasii sententia sit *indefinita*, omnium Antecessorum Gelasii à primo Petri Successore datas comprehendit Epistolas. Probat assumptum ex regulis Logicæ, juxta quas indefinita propositio exigit secundum capacitatem materiæ, seu, ut ajunt, ad exigentiam prædicati.

Resp. Ad hanc dialecticam in materia Criti-

V

Critic.

Critica replicam, negando assumptum. Ad ejus probationem ex regulis Logicæ desumptam dico, materiam epistolæ Pontificum Gelasii Antecessorum non posse extendi ad decretales, de quibus litigamus; cum tunc necdum existerint, uti probatum est supra argumentis criticis: ergo ruit argumentum desumptum ex regulis Logicæ.

175. Sed instat, redeundo ad materiam substratam: Omnes fateri debent, morem fuisse Romanæ Ecclesiæ primis illis sæculis ad Fidelium instructionem scribendi Epistolas, uti constat ex genuinis Epistolis Clementis, Damasi, Cornelii, Julii, &c. cur ergo ad has, aliasque ejusmodi indefiniti Gelasii sententia extenditur, & ad ceteras non?

Resp. quia tunc illa existerint, ut probant Patrum, & Scriptorum monumenta nobis relicta; hæc vero non, uti evincunt rationes à nobis supra per longum allata.

176. Urget: Hincmarus sæculi IX. author, cum longe propinquior fuerit Gelasii ætati, quam Critici XVI. sæculi, verius ac facilius scire potuit Romanæ Concilii sensum, atque extentionem, quam illi: atqui Hincmarus in *opuse*. 55. capitulum has epistolas ex autoritate ejusdem Pontificis in argumento relata agnoscit genuinas, id solum contendens, quod, cum à corpore Canonum, id est, à Dionysiana Collectione absint, canonicam autoritatem non habeant: ergo manifeste genuinæ sunt.

Resp. I. indirecte, retorquendo argumentum, ex propinquitate Hincmari tota sæculorum quadriga à Gelasio sejuncti materia desumptum. Venerabilis Beda, Hincmaro acumine multo superior, & insuper Historicus Ecclesiasticus ex professo, Nicæno Concilio fuit multo propinquior, quam Correctores Romani, & modernus orbis literatus universus, utpote qui sæculo 8. floruit; hic tamen relatus *dist.* 16. c. 9. asserit, Nicænum Concilium cele-

bratum fuisse sub Julio primo: ergo mala est nota laudatorum Correctorum ibi, dum ajunt: *Certum est Synodum Nicenam I. celebratam esse tempore Sylvestri; sed in illa temporum obscuritate* (id est, sæculo VIII. quo hæc epistolæ prodierunt) *mirandum non est Bedam, & alios errasse.* Nōtet hic cordatus Lector, quid præsidii causa sua Liberius à Jesu, Sæculorum horum obscurorum, & reliquorum, ea bona fide sequentium (ut infra, referendo Collectiones hac Isidoriana posteriores, demonstrabitur) autoritate, quam solam fere adducit, asserat?

Resp. II. Hincmarum honesto nomine Isidori, quem hæc Collectio præferebat, deceptum, ejus authorem credidisse. Venerandum Isidorum Hispalensem; & consequenter piaculo sibi cum omnibus costaneis duxisse, vel minimam fraudem in opere divini Viri suspicari: unde factum est, ut sententiam Gelasii ad has quoque Epistolas, in hac Collectione contentas, extenderet. Cujus sententiam posteriores eodem fato secuti sunt, donec hæresibus sæculo XVI. exurgentibus res, à qua fides, vel privilegia Sedis Romanæ, teste Baronio, minime dependunt, ad lancem criticam appensa, inventa esset minus habens. Quod autem sæculo Hincmari venerandum esset S. Isidori Hispalensis nomen, adeoque ad imponendum proflus opportunum, patet ex Synodo Toletana 8. sexto decimo anno post ejus obitum celebrata, in qua vocatur *Doctor Egregius, Catholicæ Ecclesiæ novissimum decus, in sæculorum sine doctissimus, & cum reverentia nominandus.* Uti habetur etiam in Brevario Romano ad 4. Aprilis. Illum autem non esse hujus Collectionis authorem supra ex professo, nec gratis demonstratum est.

177. Objicit II. confirmando idem primum membrum principalis minoris, Leo M. sæculo V. florens celebre fert testimonium pro Decretalium Epistolatum veritate, dum *Ep. 1. universis Episcopis*

per

per Campaniam, & Picenum data, ait: *Ne quid vero sit, quod prætermisum à nobis forte credatur, omnia decretalia constituta, tam beata recordationis Innocentii, quam omnium Prædecessorum nostrorum, quæ de Ecclesiasticis Ordinibus, & Canonum ordinata sunt disciplinis, ita vestram dilectionem custodire mandamus, ut si quis illa contempserit, veniam sibi deinceps noverrit denegari.*

Ad hanc confirmationem, sicut & ad Concilii Toletani III. A. 589. celebrati Canonem 1. atque ad replicas dialecticas, quas eidem Eximius Scriptor denuo subjungit, fundatas quam maxime in *ly omnium*, redeunt repositiones supra N. 173. & 174. data, quas hic repetere judicamus superfluum. Criticam hic subjungimus, quæ sic sonat:

178. Concilium Vasense I. anno secundo ejusdem Leonis Pontificatus celebratum, adeoque duobus annis ante datam mox laudatam epistolam, clare innuit, Leonem etiam loqui de his decretalibus; sic enim capite 6. habet: *Ex epistola S. Clementis utilia quæque præfenti tempore Ecclesiis necessaria sunt honorifice proferenda, — ex quibus, quod specialiter placuit, propter venerandam antiquitatem, statutis præsentibus roboramus.* Interitque deinde nonnullas periodos ex prima Clementis inter 6. supra relatas, quæ est ad Jacobum fratrem Domini, cujus etiam doctrina in Decretalibus Fabiani, & Aniceti Pontificum reperitur.

Resp. Concilium Vasense hoc loco solummodo laudare epistolam particularem, & quidem illam, quæ ante annum 442. quo decreta est hæc Synodus, à Patribus, & Scriptoribus Ecclesiasticis cum multis aliis Clementinis de suppositione notata fuit; quamque moderni Eruditi vel ex sola ejusdem superscriptione Clementi suppositam evincunt; siquidem post obitum S. Petri datam ex ipsius ordine, & serie cons-

tat, adeoque ad Jacobum fratrem Domini scripta esse non potest, qui 7. annis ante Petri martyrium Hierosolymis occisus est, anno videlicet septimo Neronis.

179. Objicit III. profundo secundum membrum principalis minoris: Quod nempe hæc epistolæ sæculis S. Isidoro Hispalensi (cui eandem Collectionem tribuit, utque obit sæculo VII. seu a. c. 636.) posterioribus pro genuinis agnitæ sint, & primo sic argumentatur: Sæculo VII. habito Hispalensi Concilio A. videl. 609. Isidoriana Collectio publice apparuit, cepitque per univèrsas Provincias vulgari, adeo ut, ineunte sæculo IX. Galliarum, atque Germaniæ Regiones illas Epistolas obtinuerint: ergo hæc Collectio est S. Isidori Hispalensis, qui eidem Concilio præfedit; & consequenter Epistolæ in ea contentæ vel hoc ipso manent in possessione veritatis.

Resp. Concedendo sæculo IX. Galliarum & Germaniarum per Riculphum Archiepiscopum Moguntinum hæc Collectio, atque his Epistolis repletam fuisse, ut testatur aperte Hincmarus; sed nego illam post Hispalense Concilium, seu sæculo VII. jam capisse divulgari; si enim hoc ita se haberet, Braulio & Ildephonso, texendo catalogum librorum S. Isidori Hispalensis, ejusdem meminissent, ut supra à N. 133. late probavimus. Hoc ergo assertum Eximii Liberii prorsus est voluntarium.

180. Objicit IV. ad idem. Leo IV. qui a. c. 847. sedere cepit, ad Episcopos Britannia ita scribit, & refertur *dist.* 20. c. De libellis: *De libellis, & commentariis aliorum non convenit aliquem judicare; — quibus autem in Ecclesiasticis judiciis utimur, sunt Canones Apostolorum, — & cum illis Regule Præfulum Romanorum Sylvestri, Siricii, Innocentii, Zozimi, Calestini, Leonis, Gelasii, Hilarii, Symmachi, Hormisdæ, Simplicii, & Gregorii Junioris.* Quo loco, cum ante Siricum nominet Sylvestrum, etiam aliorum Romanorum PP.

eiusdem Siricii Prædecessorum Epistolae comprehendit.

Resp. Hunc ipsum Leonis IV. sicut & primi locum has Epistolae reddere vehementer suspectas; siquidem ex omnibus Pontificibus, qui Siricium præcesserunt, nullius decreta memorat Leo I. hic autem solius Sylvestri: unde suspicatur Blondellus c. 16. *Prolegomenon*, mendum esse in textu Leonis IV. & loco istorum nominum, Sylvestri, Siricii, legendum esse, *scilicet Siricii*; quia nullas Sylvestri regulas habet vetus Ecclesiae Romanae Canon: quæ conjectura esto plausibilis sit, eo quod Correctores RR. I. cit. notent Leonem ibidem indicare *Canones & Regulas*, ex quibus constat *Corpus vel Codex Canonum*, quo Romani Pontifices, præsertim in iudiciis utebantur, seu Dionysianum, in quo Sylvestri regulæ desiderantur, ut pote qui à decretalibus Siricii incipit; probabilius tamen est illa, quam subiungit, Leonem IV. forte respexisse Acta Romanæ Synodi sub Sylvestro jam suo tempore conficta: concinnata quippe fuerant cum Actis Sylvestri, quæ Gelasius in Synodo Romana à multis in Urbe Romana Catholicis legi testatur, *cumque morem plures Ecclesias imitari*, quæ etiam Acta citaverat VII. Synodus Œcumenica, 60. & amplius annis, antequam Leo IV. eam Epistolam scriberet. Denique, quod Leo respexerit ad Acta Synodi Romanæ sub Sylvestro, colligitur evidenter ex ipsiusmet epistolæ initio, ubi regulam in dicta Synodo constitutam præsert ad iudiciorum Canoniorum ordinem decernendam.

181. Objicit V. ad idem: Nicolaus I. seculo IX. post Leonem IV. regnans, non tantum ex professo propugnavit harum Epistolarum authenticam, sed etiam asseravit illarum autographa in scriniis apostolicis asservari: ergo manifeste sunt authenticæ. Utraque pars constat ex ejus ep. 42. ad universos Gallie Episcopos apud Coletum tom. 10. pag. 280. prima quidem ex variis argumentis in hunc finem

à Nicolao ibidem adductis; secunda verò ex eo, quod inibi asseveret: *Abst, ut cuiuscumque, usque ad ultimum vitæ suæ diem, qui in vita catholica perseveravit, vel decretalia constituta, vel de Ecclesiastica disciplina qualibet exposita, debito cultu, & cum summa discretione non amplectamur opuscula; quæ dumtaxat, & antiquitus S. R. E. conservans, nobis quoque custodienda mandavit, & penes se in suis archiviis, & vetustis rite monumentis, recondita veneratur. Abst, ut scripta eorum quoquo modo parvipendenda dicamus, quorum videmus Deo auctore S. Ecclesiam aut rufeo cruce floridam, aut rorsus suis sudoribus, & salubribus eloquiis adornatam. Ex his enim habetur, 1. Romanam Ecclesiam priorum Pontificum, qui pro Christo sanguinem fuderunt, ut Nicolaus testatur, constituta servasse. 2. Prædecessores eam custodienda Successoribus tradidisse. 3. In suis vetustis archiviis fuisse recondita.*

Resp. Quidquid contra molitur Nat. Alexand. concedo primam partem A. Nihil enim clarum est ex dicta Epistola, Nicolaum has Epistolae ut authenticas propugnasse. Et nego secundam, illum videlicet hoc loco asseverare, has Epistolae in Romanis Archiviis fuisse reconditas, Nicolaus enim in periodo allata nil aliud dicit, quam primo, quod decretalia constituta *cuiuscumque*, & *qualibet* epuldem de Ecclesiastica disciplina opuscula cum summa veneratione & discretione sint amplectenda, modo *in fide catholica* obierit.

Secundo, quod R. E. eorum dumtaxat decretalia constituta, & de ecclesiastica disciplina opuscula antiquitus conservet, posterique custodienda mandet, & penes se in suis archiviis & vetustis rite monumentis recondita veneretur, qui *in fide catholica* obierunt. Quæ propositio, si æquivaleret huic à Liberio præsentis: *Ecclesia Romana in suis archiviis asservat veterum Pontificum, de quibus disceptamus, epistolae*; etiam hæc, In Bibliotheca A.

dum-

dumtaxat asservantur Authores Catholici, æquivaleret huic: In Bibliotheca A. asservantur opera S. Gregorii. Quod falsum esse nemo non videt. Has autem Epistolae tempore Nicolai I. in Archivis Romanis, nisi fortassis in Collectione Isidoriana, aut inde excerptas non exstitisse, evincitur non tantum ex eo, quod Dionysius Exiguus, qui dicta Serinia aliquot sæculis ante Nicolaum diligentissime lustravit, eas ibi non invenit; sed inde quoque, quod nullus Pontifex ante Nicolaum primum eas pro roborandis fidei dogmatibus, tuendisque Sedis Apostolicæ privilegiis adeo accommodatas eruerit, & Ecclesiis legendas in lucem emerit. Quia esto Dionysio prohibito fuisse aditus ad secretiora R. E. Serinia, uti divinat Eximius Liberius eum tamen fuisse prohibitum Nicolai Antecessoribus, aut eos in gravissimis sæpe negotiis ex supina negligentia illa Serinia non lustrasse, nemo est, qui affirmare audeat. Unde sponte corrumpit dilemma Liberii huic objectioni subnexum; Nicolaus enim neque mentitur in allata periodo, nec Epistolæ dictæ in Seriniis Romanis fuerunt asservatæ; quia ejus propositio hoc non dicit.

Nec obest nobis tanti Pontificis auctoritas; tum quia in substrata materia Doctoris privati dumtaxat obivit provinciam; tum quia illo seculo floruit, quo fua honesti Isidori Hispanensis nominis larva hee epistolæ habebantur ab omnibus iudibus.

182. Sed instat: Nicolaum veraciter asseruisse, in Romanis Archiviis præcorum Pontificum Codices existere, ineluctabile argumentum evincit; quoniam 100. circiter annis ante illum Hadrianus I. Pontifex, omni exceptione major, ex monumentis Romæ extantibus summam Capitularium collegit, ejus transumptum dedit Ingilramno; horum autem nonnulla iidem pene verbis ex Epistolis, de quibus controvertitur, excerpta leguntur. Cum vero prædicta non ipse contulerit, in

Romanis Carthophilacis exstitisse fatendum est. Neve dicendum putes, à libro Riculphi Moguntini excerpta fuisse; cum hoc contigerit nondum adepta à Riculpho Episcopali dignitate.

Respondeo, ex mox dictis constare, Nicolaum simpliciter non asseruisse in Romanis Archiviis laudatas Epistolae existere. Ad auctoritatem è Hadriano I. desumptam dico, Capitula ista Hadriano quidem tribui ab Hincmaro in opusc. *advers. Hincmarum Laudunensem* c. 24. qui eorundem Collectionem Ingilramno datam affirmat; sed illam ipsi Ingilramno inscribunt Codices MSS. optime fidei, & venerandæ antiquitatis in Bibliothecis S. Victoris Parisiensis, & Monasterii Lætiensis. Et eam Hadriano tribui non posse vel ipsa ex his Epistolis excerpta eidem illata evincunt; illas enim Decretales videtur novisse supposititias emanatæ naris Pontificis, siquidem Codex Canonum, quem Carolo Regi obtulit Romæ a. c. 774. de quo §. sequenti, decreta Romanorum Pontificum à Siricio dumtaxat ad Gregorium Juniorem complectitur. Quod constat tum ex aliis vetustissimis Codicibus, tum nominatim ex illo, qui Caroli ipsius M. temporibus exaratus, A. scilicet Regni ejus 37. Christi 805. asservatur Parisiis in Bibliotheca S. Germani, ut probat Sirmundus apud Coletum tom. 8. pag. 565. Ad didisset autem & Epistolae primorum Pontificum, si ullius fuissent apud ipsum auctoritatis: inquit Nat. Alex. seculo VIII. c. 1. a. 9. qui & subiungit: *Recte igitur Antonius August. Juris Canonici peritissimus Præful, ista Capitula Hadriano I. abjudicat Dial. 15. de emendatione Gratiani.*

Doctissimus Pagius ad a. c. 786. N. 3. & 4. ita habet: *Sed quemcumque Auctorem nata sit hæc Capitularium Collectio, Marcæ lib. 7. de Concordia c. 20. vetustiorum illam censet Isidoro, quem ipsædem Capitulis usum dicit in adornanda Collectione epistolarum apocrypharum.* Ex illi.

Existimat præterea Illustrissimus Præful, hæc Capitularia excerpta esse ex antiquis Canonibus, & genuinis Pontificum Romanorum epistolis, tum etiam ex legibus Codice Theodosiano comprehensis, vel potius ex Legum illarum breviario. Qua stante conjectura, certe plausibili, esto Hadrianus harum Capitularium esset author; tamen non sequeretur has Epistolas tunc jam in Romanis Seriniis existisse, vel à libro Rieulphi excerptas fuisse; sed potius Isidorum ab his Capitularibus, ex genuinis fontibus, Pontificum nimirum, ac Imperatorum decretis, ab Hadriano desumptis, occasionem fumpisse illas Epistolas fabricandi; utpote quæ plenæ sunt Legibus Theodosianis, in Scholiis Anianis; quæ primus notavit Antonius Aug. ut supra vidimus.

183. Objicit VI. Excerpta ex his epistolis magni facta sunt à prudentissimis Gallie Regibus, atque inter Capitularia eorundem relata: ergo sunt genuinæ. Secundo Doctissimus, ac Celeberrimus Tarraconensis Archiepiscopus Antonius Aug. Capitularia illa, quæ apud Coletum habentur tom. VIII. à pag. 597. notis illustrando, fontes illorum non semel indicat præsentibus Epistolis: uti videre est in notis ad cap. 3. & alibi passim l. mox cit. à pag. 607.

Resp. Benedictum Levitam, qui Capitularium libros digessit, eosque Lothario, Ludovico, & Carolo Regibus, Ludovici Pii Imperatoris Filiiis dedicavit circa a. c. 850. satis innuere, has Epistolas non esse genuinas; siquidem illas suppresso nomine citavit, nec recens detegeretur imposturas; fatique habuit monere, decreta illa, quæ iussu Autgarii Moguntini Archiepiscopi ex Seriniis Moguntiacæ Ecclesiæ collegerat, & sparserat in tribus postremis Capitularium libris, à Romana Ecclesia probata fuisse, ne quis adversus ea mutare audeat. Id notavit Baronius ad a. c. 865, ita scribens: *Sed & ipse Benedictus Levita, etsi ex eadem Isidori Collectione accepit*

multa; tamen bene conscius auctoritatem illarum Epistolarum haud adeo constantem, sed nutare admodum, nunquam aliquem illorum citavit Auctorem, ut fecit in reliquis, quorum fides constans esset; — sed & magna cautela, quod sciret ex eis accepta haud adeo haberi firma; curavit (ut ipse in fine testatur) eadem auctoritate Apostolica confirmari.

Resp. II. Præfata excerpta à prudentissimis Gallie Regibus magni facta fuisse, quia plena sunt æquitatis; Compiler enim harum Epistolarum bene multa habet, quæ primis, & posterioribus sæculis sapientissime constituta sunt.

Ad II. dico, auctoritatem Antonii Augustini non officere; verum quidem est, quod peritissimus ille Præful in relatis notis ad Capitularia Hadriani, illa in has Epistolas ceu in fontes reducat, quoniam contra Marcum sentit, illa Capitularia ex his Epistolis esse deslorata; cæterum ipse est, qui priorum Pontificum Romanorum Epistolas cum eodem Marca, Baronio, Pagio, & aliis Eruditis de suppositione arguit; ut supra vidimus, & constat ex eisdem notis ad Capitulum 36. Hadriani I. ubi hæc habet: *Adde Constitutionem Valentianiani — & Epistolam Damasi ad Aurelium Carthaginensem, positam initio Conciliorum, quæ plerisque suspecta est, ut alia nonnullæ antiquiorum Damaso Pontificum.*

184. Opponit Liberius: Esto Antonius Aug. de aliquibus Epistolis dubitet, non tamen in dubium revocat ipsum Corpus Epistolarum, sed potius firmat, quoniam certa ab incertis discernit.

Resp. Cum Antonius Aug. dixerit verbis Corpus harum Epistolarum esse authenticum non affirmet, sed in plerisque Epistolis ea notet, quæ sponte sua suppositionem earundem indicant; insuper alias aperte suspectas habet; ipse celeberrimus, & de re canonica per crismam restauranda meritissimus Præful nobis magis favet, quam Eruditisimo Liberio.

Quas

Quas enim Epistolas ille habuit suspectas, de earundem, sicut & de totius Corporis harum Epistolarum suppositione post fractam primam, ut ajunt, ab ipso glaciem, admota postmodum non semel lima critica, Viri eruditi se fatentur convictos; non enim uno semper ictu quercus cadit.

185. Objicit VII. ex Gravina: Quod si hæc Epistola esse suppositicia, à tot Pontificibus, Viris Illustribus, & præsertim Tridentino Concilio, quod tot volumina obscura, spuria, contumeliosa, Christianicæ Sponsæ indecora flammis tradidit, in illas debuisset animadverti: quod cum factum haud sit; inde fit, ut Patroni nostræ sententiæ sint criminatores horum omnium.

Resp. ad hoc oppido zelosus argumentum: Quod si illud nos, qui non Blondelli spiritu in has Epistolas invehimur, sed cum Illustrissimo de Marca lib. 3. de concord. Sacerd. & Imp. c. 5. sentimus, illas esse sententiis & verbis Legum, Canonum antiquorum, & Sanctorum Patrum, si pauca demas, (nempe ea, quæ Baronius ad a. c. 336. vocat mendacia, & quisquilias) esse concinnatas, injuriosos atque criminatores facit dictorum Pontificum, Virorum Illustrium, ac Concilii Tridentini, uti ibidem vociferatur zelo non secundum scientiam Gravina, Correctores decreti Gratiani dicendi quoque sunt injuriosi atque criminatores Summorum Pontificum, Virorum Illustrium, & Conciliorum à cunis decreti illius, seu à sæculo XII. quo editum est illud decretum, usque ad sæculum XVI. quo eidem emendando auctoritate trium Pontificum manus admoventur; siquidem liber hic ab illis emendatus mendis, & testimoniorum depravationibus, teste Greg. XIII. in Bulla emendato Gratiano præfixa, erat plenissimus: quæ tamen Pontifices, Viri illustriores, atque Concilia quatuor fere sæculorum intacta reliquerunt. Telum ergo, quod Gravina hocce argumento in nos vibrat, ipsum ferit.

Sed nunquid his stantibus omnes recentissimi in alterum scopulum impingent? absit. Sua manet & dictis Pontificibus, & Viris Illustribus, & Conciliis in utroque casu facta testis auctoritas. Fuerunt sæcula, quæ ad opera polemica luebranda, alia, quando ad opera Theologica concinnanda, hæc posteriora denique, quibus ad spuria antiquitatis monumenta à genuinis ope critices feceranda nati sunt homines. Hæreticorum insultus ansam dederunt Catholicis, ut se applicarent ex professo ad lucubrations polemicas. Patrum, præsertim Augustini, & Anselmi, opera methodica Theologia Scholasticæ ad apicem perfectionis evehenda facem prælerunt. Criminationes Lutheranorum in decretum Gratiani post ejus publicam à Luthero factam combustionem, teste ipso Liberio, Romanos PP. Pium IV. Pium V. & Gregorium XIII. excitarunt, ut eidem censoriam virgam admovent. Has Epistolas illi, aliquot demptis, intactas reliquerunt; at post criminationes Magdeburgensium, & Turriani apologiam Eruditi Critici, tum ortho-tum heterodoxi, sepositis præjudiciis, rem, à qua non dependet Ecclesiæ, vel Sedis Pontificiæ salus, maturius examinandum judicarent, dictasque Epistolas Cleanthis ad lampadem trutinantes, in illis multo vehementiora suppositiones indicia invenerunt, quam vel Magdeburgenses objecissent, vel Turrianus solvissent.

Mitius ergo, atque discretius loquitur Modernus nolter Sanctissimus Benedictus XIV. Eruditorum Criticorum facile princeps in suo aureo opere de Servorum Dei Beatificatione, & Sanctorum Canonizatione tit. 1. N. 209. relato, dum in similibus facti materis Romano Breviario post multiplicem revisionem ejusdem illatis, de quorum veritate nihilominus adhucdum in utramque partem litigatur, ita fatetur, prout ibidem pariter retulimus: *Videntur quidem tuto pede asseri posse, non modicum auctoritatis pondus factis historicis accedere, quæ relata sunt, & approbata in*

Br.